dum esset, non nemini illarum rerum intelligenti ut facultas daretur, totum hoc Chronicon cum memorato *Autographo*, quod in *Archivo Electorali Saxonico* asservari ibidem narrat, à capite ad calcem conferendi: quandoquidem nullus dubito, quin cum magno Antiquitatis Germanicæ amantium fructu id queat fieri. Sane & *Georgium Fabricium*, illum qui tot Saxonicæ historiæ, aliisque eruditis commentationibus, inclaruit, exemplar hujus Chronici MStum habuisse, *Paulus Bolduanus* in *Bibliotheca* sua *Historica q* arguit: & forte alibi etiam in Archivis hodie tenebrarum atque parietum custodiis tegitur, quorum utinam monumenta ac libri tam publice utiles essent semper, quam blattis & tineis quandoque relinquuntur absumendi, certe præclarius cum universa Antiquitate, & jam olim esset actum, & in hodiernum ageretur. Cæterum & Cl. Editor summa Chronici capita in margine adscripserat; quæ, ne nihil addidisse videremur, partim locis similibus Scriptorum veterum, annum pariter, quo res quæque gesta est, cujus nimis quam negligens est *Ditmarus*, ut plurimum exprimentibus, permutavimus, partim etiam retinuimus; quod & Typographum gravate apponere margini pluscula, atque eadem non semper emendate (nescio, cujus culpa) cum ipso contextu exhiberi, conspicerem. Quæ quidem παραράματα cum nec tuum, AMICE LECTOR,

Vid. Meibō. Chron. Walbec. pag. 23.

Edit. Lips. pag. 108 & 115.